

non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

THEMISTOCLIS INDUSTRIA PERSARUM CLASSIS, AD SALAMINIUM PRETUM
NAVALI PRAELIO VICTA, POST MULTAM STRAGEM FUGA SIBI CONSULIT.
(L. II. c. XII.)

Atheniensium dux Themistocles, cum animadvertisset, Iones, propter quos bellum Persarum susceperant, in auxilium Regis classe venisse; sollicitare eos in partes suas statuit. Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, et saxis proscribi curat: Quae vos, Iones, dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus, cogitatis? An ideo moenia vestra condidimus, ut essent, qui nostra delerent? quid, si non haec et Dario prius, et nunc Xerxi, belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus? Quin vos in haec nostra castra ex ista obsidione transitis? Aut si hoc parum tutum exstat, vos commisso praelio ite cessim, inhibete remos, et a bello discedite. Ante navalis praelii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum; prorsus, quasi non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus bellum gereret: quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullae essent hominum adversus Deos vires. Post haec Thespias, et Plataeas, et Athenas vacuas hominibus incendit: et quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne grassatur. Namque Athenienses post pugnam Marathoniam, praemonente Themistocle, victoram illam de Persis non finem, sed causam majoris belli fore, CC naves fabricaverant. Adventante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum fuerat: salutem muris ligneis tuerentur. Themistocles navium praesidium demonstratum ratus, persuadet omnibus: Patriam municipes esse, non moenia; civitatemque